



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

v. An, & quid dicendum de arboribus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

mobilis; siquidem non potest ita inferuire, vt seruando seruetur, quia non habet alium vsum, nisi vt consumatur: ergo, &c.

Respondetur, si loquamur de omni alia pecunia, concedo, si loquamur de pecunia, de qua supra dicebatur, nego; quia cum talis pecunia, vt patet ex dictis, succedat loco rei immobilis, vel mobilis pretiosae, prohibetur distrahi tanquam res immobilis, vel mobilis pretiosa: quo stante alienatio ipsius æquiualeat esset alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosae. Neque obstat, quod res immobilis, vel mobilis pretiosa emenda non possideatur, & prohibitio sit solum de alienandis, quæ possidentur. Respondet enim, quod possidetur ipsa pecunia, quæ habetur pro re immobili, vel pretiosa. *Amilla verb. Alienatio, num. 4. Conrad. pari. 2. resp. cas. conscient. quæst. 25. Barbosa de potest. Episcop. part. 3. a. egat. 95. num. 40. Homobon. part. 4. resp. 44. & Bonacina de alien. bonor. Eccles. disp. 2. quæst. unic. punct. 2. n. 5. qui testatur de communi.*

Obiicies secundò, fundatio census vitalitij non est alienatio, sed emptio iuris exigendi fructus super re fructifera: ergo non est de prohibitis. Consequentia probatur, quia non prohibetur pro Ecclesia emptio, sed tantum alienatio bonorum Ecclesiæ.

Respondetur, quod licet fundatio census vitalitij sit quædam emptio, est tamen emptio qualificata, quæ continet etiam alienationem, siquidem continet pactum, quod ius acquisitum per emptionem transferatur post mortem illius, super cuius vita fundatur, ad venditionem. Aut saltem ordinatur ad alienationem, quod sufficit, vt prohiberi comprehendatur in dicta extrauag. *Ambrosia.*

Obiicies tertio, census vitalitij, licet extinguatur morte contrahentis, est tamen utilis Ecclesiæ, siquidem utilitas attenditur tempore contractus. *Gloss. in cap. ad aures, verb. Tunc, de reb. Eccles. non alien. Genues. in prax. Archiepisc. c. 89. n. 3. & Bonac. de alien. bonor. Eccles. disp. 2. quæst. unic. punct. 3. n. 2. quinimò adest etiam utilitas pro tempore futuro, quia durante censu percipiuntur fructus.*

Respondetur, quod fundatio census vitalitij, licet de presenti sit ex vno capite Ecclesiæ utilis, est tamen ex alio capite etiam de presenti ei damnosa, tum quia absolute tendit ad priuationem intra certum tempus necessariò futurum; tum quia de presenti Ecclesia exponitur periculo amittendi capitale, & fructus ad breue tempus, cum vita hominis sit in continuo, & quotidiano periculo. Vnde bona certa Ecclesiæ commutantur in spem incertam fructuum percipiendorum ex tali censu.

Accedit, quod utilitas, vel etiam necessitas non sufficit, vt res Ecclesiæ possit alienari, sed sufficit solum, vt possit obtineri à Sede Apostolica licentia de alienando, sicut patebit ex iis, quæ dicam *infra* diffusè *dub. 9.*

SECTIO IV.

An, & quid dicendum de grege ouium, vel de armento bouum, & similibus?

SUMMARIUM.

- 1 Inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debet: grex ouium, & caprarum, armentum bouum, præsepium equorum, & similia.
- 2 Secus dic de fructibus gregis, & armenti, & similibus, quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt.

- 3 Fructus gregis, armenti, & similibus alienari possunt sine iuris sollemnitate, sicut alienari possunt fructus agrorum.

Sequitur tertio, quod è contra inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debet grex ouium, & caprarum, armentum bouum, præsepium equorum, & similia; quia est quid magni valoris, & per continuam fæctum multiplicationem conseruari potest. Secus dicas de fructibus gregis, armenti, & similibus; quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt; sicut nec computaretur fructus agrorum: quapropter hæc alienari poterunt sine sollemnitate iuris, sicut sine sollemnitate iuris alienari possunt fructus agrorum. Sic Doctores communiter. *Mol. tract. 2. disp. 456. in fin. Redoanus de alien. q. 2. Quaranta n. 25. Sopranius c. 4. q. 19. n. 24. & alij passim. Vide quæ dicebantur supra dub. 1.*

SECTIO V.

An, & quid dicendum de arboribus.

SUMMARIUM.

- 1 Inter bona immobilia numerari debent arbores, si prædio sint necessaria: ita illis sublati prædium notabiliter deterioretur.
- 2 Secus dic si non sunt necessaria, vel prædio damnum aliquod inferant, vel loco illarum reponantur alia fructifera, vel magis fructifera.
- 3 Conseruari posse non debet id, cuius conseruatio Ecclesiæ potius damnosa est.
- 4 Prælati scindens arbores, easque vendens in utilitatem Ecclesiæ, non peccat in casu, quo talis scissio damnum prædio non inferat.
- 5 Damnum in scissione arborum non consideratur, si in prædio relicta sint arbores sufficientes.
- 6 Idem dicas si scindat arbores cæduas, quales sunt, quæ tantum utiles sunt ad lignandum.
- 7 & 8. Silua cædua, nemus, arundinetum, & similia censentur potius fructus prædij, quàm prædium: & ideo nullam exigunt sollemnitate in eorum alienatione. Secus de silua, arboribus vel loco consito in prædio ad amœnitatem prædij, & non consito ad lignandum, nisi fieret transmutatio in quid aliud magis fructiferum.
- 9 Quod dixi de incisione arborum, idem dic de incisione vineæ, vel alterius rei similis.

Sequitur quarto, quod etiam inter bona immobilia numerari debeant arbores, si scilicet prædio sint necessaria, ita illis sublati prædium notabiliter deterioretur. Secus, si non sint necessaria, v. g. si sint vel ferè mortuæ, vel ita detonsæ, vt potius prædio damnum inferant, vel loco illarum reponantur alia fructifera, vel magis fructifera, quia hæc omnia utilia sunt, & secundum regulas agriculturæ. Et dici non debet, conseruandum esse id, cuius conseruatio Ecclesiæ potius damnosa est. Quapropter neque peccabit Prælati, si scindat arbores, easque vendat in utilitatem Ecclesiæ, in casu, quo talis scissio prodest, vel saltem damnum prædio non inferat: sicut de facto non inferat, si in prædio sufficientes arbores relinquat. Idemque dic, si scindat arbores cæduas, quales sunt, quæ tantum utiles sunt ad lignandum, vt est silua cædua, nemus, arundinetum, & similia, quia hæc censentur potius fructus prædij, quàm prædium: quapropter poterunt sine sollemnitate iuris scindi, & alienari.

alienari. Secus dicendum de silua, arboribus, luo confito in prædio ad amœnitatem prædij, & non confito ad lignandum, seu cœdendum, nisi talis silua, arbores, vel lucus transmutentur in vineam, vel quid aliud magis fructiferum, & Ecclesiæ vilius, iuxta ea, quæ dicuntur *infra dub. 2.* Sic Nauar. *lib. 1. consil. 6. & 7. de rebus Eccles. non alien.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 18.* Rodriguez *lib. 1. qq. regul. quest. 27. art. 4.* Quaranta *verb. Alienatio, num. 37. lit. F.* Bonacina *disp. 3. de contract. quest. 8. punct. 4. n. 18.* Peirinus *tom. 1. privileg. Minim. in consil. 9. Iulij II. n. 18. & seqq.* Farinacius *part. 2. decis. 553.* Tamburinus *de iure Abbatis. tom. 3. disp. 1. quest. 3.* Bordonus *resol. 27. num. 14.* Lezana *verb. Alienatio, n. 19.*

Et quæ dixi de incisione arborum, eadem dico de incisione vineæ, vel alterius rei similis.

DVBITATIO III.

Quænam alienatio prohibeatur?

SUMMARIVM.

- 1 In extrauag. *Ambitiosa*, non solum prohibetur alienatio strictè sumpta, per quam fit translatio domini directi rei alienatæ, sed etiam alienatio latè sumpta, per quam fit translatio cuiuscunque iuris, & domini.
- 2 Item in citata extrauaganti prohibentur venditio, donatio, consumptio, permutatio, precarium, census, feudum, emphyteusis, & locatio ad longum tempus.
- 3 Census impositio fieri potest à capitulo pro sustinendis litis expensis.
- 4 Per feudum, & emphyteusim, seu locationem transfertur dominium vtile in feudatarium, emphyteutam, & conductorem.
- 5 Item prohibetur actio pignoratitia, & hypotheca ratione periculi translationis domini, casu quo deficiat, vnde principali obligationi satisfiat.
- 6 Alienationis prohibitio fauore Ecclesiæ comprehendit omnem actum, per quem in extraneum ius aliquod vtile transfertur, & per quem in rebus Ecclesiæ seruitus aliqua constituitur, licet probabiliter comprehendat tantum hypothecam specialem.
- 7 Per generalem hypothecam non tantum res quam persona remanet obnoxia obligationi.
- 8 Qui sua bona tantum hypotheca generali obligauit, non impeditur ea alienare, cum eadem sic alienata creditori non submittantur.
- 9 Seruus si per generalem tantum hypothecam obligatus fuerit, manumitti potest, licet alijs probabiliter sentiant oppositum.
- 10 Res sterilis, & domus, ex qua nihil utilitatis percipitur, non potest alienari.
- 11 Regulares non possunt vendere stabilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, nec etiam pro fabrica Monasterij, vel ad effectum emendi census.
- 12 Nec possunt dicta bona vnius Monasterij transferre in aliud.
- 13 Possunt tamen, si sint bona non pretiosa, vel quæ seruando seruari non possunt.
- 14 Quod dictum est de translatione, idem dicendum de permutatione.

Responderetur, prohiberi non solum alienationem strictè sumptam, nempe per quam fit translatio domini directi rei alienatæ, l. 1. *Cod. de fundo do-*

tali, & ibi Gloss. & colligitur ex l. 1. *Cod. de iure emphyt.* sed etiam alienationem latè sumptam, per quam fit translatio cuiuscunque iuris, & domini, etiam vtilis, vel indirecti (retento directo) vñfructus, vel possessionis, &c. iuxta *cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. & l. sancimus, eod. tit.* Et sic prohiberi in rebus Ecclesiæ non solum venditionem, donationem, consumptionem, permutationem, precarium (vt rectè dixit Riccius *decis. 64.* Quaranta *verb. Alienatio, n. 15.* & Bonacina *de alien. bonorum Eccles. punct. 2. num. 9.*) sed etiam prohiberi censum, siue perpetuum, siue vitalitium (quamvis census impositio fiat à Capitulo pro sustinendis litis expensis, vt ex Baldo, & alijs probat Riccius *decis. 49. & 71.*) feudum, emphyteusim, locationem per longum tempus, contractum superficiarium, libellarium, & similem; quia per hæc transfertur dominium vtile in feudatarium, emphyteutam, conductorem, &c. Sic dicebam *suprà dub. 1. num. 19. & seqq.* & constat ex *cit. cap. nulli, ex toto titulo de rebus Eccles. non alien. extrauag. Ambitiosa*, cum decreto S. Congregationis, & Clem. 1. eodem tit. & docent præter Syluestrum *verb. Alienatio, num. 6.* & Molinam *de contract. tract. 2. disp. 464. num. 1. & seqq.* communiter Doctores, quos citat, & sequitur Quaranta *cit. num. 15. & 16.* Bonacina *cit. punct. 2. num. 1. & Rodriguez tom. 1. qq. regul. q. 27. art. 1.* Quin addo prohiberi etiam pignoratitiam actionem, & hypothecam, ratione periculi translationis domini, calu scilicet, quo deficiat, vnde principali obligationi satisfiat: tum quia hypotheca expresse ponitur inter contractus prohibitos, tam in *cit. extrauag. Ambitiosa*, quam in *cit. decreto S. Congregationis*, quæ referebam *cit. dub. 1. num. 4.* tum quia, qui non potest alienare, nec etiam potest hypothecare: DD. apud Barbof. *de offic. & potest. Episc. allegat. 19. num. 85.* Sic Couar. *2. var. cap. 16. num. 7.* Vasquez *de redditib. cap. 2. §. 2. num. 35.* Mol. *de iust. tract. 2. disp. 464. & seqq.* & Azorius *tom. 2. lib. 9. cap. 1. quest. 2.* Et ratio horum omnium est, quia fauore Ecclesiæ, alienationis prohibitio comprehendit omnem actum, per quem in extraneum ius aliquod vtile transfertur, & per quem in rebus Ecclesiæ seruitus aliqua constituitur; quamvis probabiliter comprehendat tantum hypothecam specialem, non item generalem, ex eo, quia per generalem non tam manet obligata res, quam persona. Vnde qui sua bona tantum hypothecæ generali obligauit, non impeditur ea alienare, & eadem sic alienata creditori non submittantur. Similiter seruus, si per generalem tantum hypothecam obligatus fuerit, manumitti potest. Vide Abbatem *cit. cap. nulli, num. 3.* Redoanum *cap. 6.* Couar. *2. var. cap. 16. num. 7.* & Molinam *de iust. tract. 2. disp. 466.* Vide etiam quæ dicebam *suprà dub. 1. num. 19.* quamvis alijs, quos ibi citabam, sentiant, & etiam probabiliter, oppositum, ex eo, quia sumus in materia fauorabili Ecclesiæ, & extrauagans *Ambitiosa*, absolute loquitur: sed quod dixi, ob rationes dictas (ex quibus patet ad oppositum) est etiam satis probabile.

His adde, prohiberi etiam alienationem rei sterilis, seu domus, ex qua nihil utilitatis percipitur; quia adhuc res hæc est immobilis. Doctores quos citat, & sequitur Quaranta *num. 37.* & Bonacina *num. 9.*

Adde secundò, non posse Regulares stabilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, vendere, nec etiam pro fabrica Monasterij, vel ad effectum emendi census. Doctores apud Barbof. in *Collect. Bullar. verb. Stabilia.*

Adde teritiò, nec posse Regulares bona vnius Monasterij transferre in aliud, quia huiusmodi translatio est quædam alienationis species. Doctores, quos sequitur Bonac. *cit. num. 9.* quapropter priuilegia, quibus id